

CHRONICON RERUM MEMORABILIMUM
MONASTERII S. STEPHANI PROTOMARTYRIS
AD RIVUM MARIS

Scriptum a **Rolando Monacho**
Qui vivebat An D. MCLVII.

Ex MSS. Codice Membranaceo Ejusdem Coenobii

Estratto da

“[Archivio Storico per le Province napoletane](#)”

Anno X, fasc. III,

Napoli, 1885 pp. 569-574.

**Chronicon Rerum Memorabilium Monasterii S. Stephani Protomartyris Ad Rivum-Maris. Scriptum a Rolando Monacho
Qui vivebat An. D. MCLVII.**

(*Ex MSS. Codice Membranaceo Ejusdem Coenobii*)

I. Regnante Domno Lothario Imperatore Augusto, anno Domini DCCCXLII, Indictione V., Agareni in multitudo magna primum venerunt, depredationes, et occisiones et devastationes facientes in omnibus locis, tum in terra quam in mare circa littora. Tunc vir quidam nobilis, dives et timens Deum, nomine Giso, devotionem gerens erga S. Stephanum Levitam Christi, et liberatus mirabiliter a caede barbarorum, fabricare fecit extra Castrum Rivimaris prope littus et Senellam fluvium in praedio suo Ecclesiam in honorem eius, et illam dotavit de circum jacentibus bonis suis.

II. Anno DCCCLJ. Venientes iterum Agareni despoliaverunt et destruxerunt eam, depredantes omnes terras et loca per circuitum, et facientes occisiones et incendia. In ipso anno inimici Dei fugati sunt per Ludovicum Lotharii Imperatoris filium, et Ecclesia S. Stephani reparata fuit per Domnum Gisonem et filios eius; et fecit in ea Giso Monasterium Servorum Dei, constituendo Abbatem ipsius et Rectorem Venerabilem Petrum, qui Congregationem Monachorum S. Benedicti ibidem ordinavit ad laudem Dei, et honorem S. Stephani Servi Sui, et pro redemptione peccatorum.

III. Anno DCCCCXXXVII. In mense maio Hungari fecerunt incendium in Stonio, et depredaverunt universas terras per circuitum et Ecclesia S. Stephani cum Monasterio spoliata fuit et combusta ab eis, et fugati sunt monachi CC; et locus derelictus mansit per plures annos.

IV. Anno DCCCCXLVIJ. In mense Aprili venerunt Hungari partibus Piscariae depredantes et devastantes omnia.

V. Factum est praelium contra eos in finibus Apuliae; et Beneventani fugati sunt ab Hungaris.

VI. Et Hungari destruxerunt *Cliterniam Diomedis et Civitatem Apulam* et gentes multas dederunt in occisionem gladii, et sic fecerunt deinceps per multos annos hostiliter discurrendo.

VII. Anno DCCCCXXXJ. Transmundus Marchion et Dux filius Attonis Comitis de genere Longobardorum pro remedio animae suae et consanguineorum et filiorum suorum restaurare fecit Ecclesiam et Monasterium S. Stephani, et ordinavit in ea Abbatem Ioannem cum congregatione monachorum, recuperans et restituens S. Stephano omnia bona sua, quae erant in Marchia.

VIII. Anno DCCCXXXIII (l. DCCCCXXXIII). Transmundus Comes et Marchio, filius supradicti Transmundi Marchionis et Ducis, donat Ecclesiae et Monasterio S. Stephani Ecclesiam S. Mariae extra Castrum

in Lucania, cum omni introitu et pertinentia sua, et molendinum in Sangro et Castellum S. Salvatoris et Serni.

IX. Anno Dcccxc. Almaserus de Thermulis donavit Ioanni Abbati et Ecclesiae S. Stephani terram suam modiorum quadraginta, cum casale et Fara sua in foce Merlana secus Trinium.

X Anno sequenti Benedictus Presbyter de Stonio, quod nunc ponitur Vastum, reliquit Monasterio Ecclesiam S. Thomae Apostoli in Castro Torini, cum domo, libris, et omni dote sua, ut legitur in testamento. Item dimidiam partem sibi contingentem de omnibus rebus haereditatis Matilaei matris suae.

XI. Anno millesimo, Ioannes de Anilphio donavit S. Stephano et Ioanni Abbati Castellum de Cileno iuxta flumen Senellae cum terra modiorum sexcentorum.

XII. Anno millesimo secundo per filios quondam... donatum fuit Ecclesiae S. Stephani et Congregationi suae Castellum de Collebono cum Ecclesia S. Apollinaris et cum terra modiorum mille et quingentorum et curte.

XIII. Anno Miiij. Ioannes Abbas fecit excambium de Ecclesia S. Mariae in Lucania et pertinentia eius cum Landulpho filio Masonis, recipiens ab eo terram suam modiorum quadraginta quinque in semine, et sedium novum molendini in Castello Cileno prope Senellam.

XIV. Anno Mv. Ioannes Presbyter, filius Iacobi Iudicis, pro redemptione peccatorum suorum et matris, et patris, et omnium consanguineorum donavit S. Stephano curtem suam colonicam in Cileno domesticam cum integra pertinentia et masnata sua et Castellare suo.

XV. Anno Mvj. Ubertus Comes devotionem magnam gerens S. Stephano donavit eiusdem Ecclesiae, Ioanni Abbati et congregationi Monachorum Castellum de Pallano cum haereditate sua in ipso Castello.

XVI. Anno Mviiij. Ubertus filius quondam Atemaldi donavit S. Stephano et Uberto Abbati quartam partem Castri Rivoleti. Item modios centum sexaginta terrae in eodem loco, et Casale suo in ipsis terris.

XVII. Anno Mxjv. Transmundus Dux et Marchio Transmundi Ducis et Marchionionis filius, supra nomicatus, Benefactor noster, donavit S. Stephano Insulam de Sangro flumine pro molendinis construendis, cum omni iure illius et pertinentia.

XVIII. Eodem anno Henricus Imperator confirmavit omnia bona et iura monasterii.

XIX. Anno Mxviij. Landulphus Comes filius quondam Transmundi, Comitis supradicti, concedit Monasterio Ecclesiam S. Mariae, quae est prope insulam de Sento cum terra modiorum octingentum et omnibus iuribus illius et pertinentibus.

XX. Eodem anno idem Landulphus Comes cum Comitibus Ottone et Pandulpho fratribus suis, filiis quondam Trasmundi Ducis et Marchionis, dederunt Monasterio S. Stephani Ecclesiam S. Anastasii cum modis ducentis in loco qui dicitur Colleboni.

XXI. In ipso anno, mense Iunii, Giso filius Petri Comititis et Castaldi inimicitiam fecit cum Auberto Abbate et monachis propter finis et Castellare Rivi puri de Senella. Et mense Augusti per eandem Indictionem die tertio stantis mensis, volens vindicari, fecit masnatam de collectis hominibus suis et cum armis discurrens, diruit Castellum eius, et fugavit homines S. Stephani qui habitabant in eo.

XXII. Die sequenti, in nocte, cum eadem masnata sua ivit ad insulam Sangri et dissipans molendina coepit Castaldionem et duxit ad civitatem Burrellorum.

XXIII. Anno Mxxj Idem, qui supra, Comes Landulphus dedit S. Stephano bona sua quae habebat in rivo maris iuxta ripam fluminis Senellae, nihil sibi et suis reservando de iure suo, et de illorum pertinentia.

XXIV. Anno Mxxiij. Transmundus Comes, Attonis filius, donavit Monasterio et Luponi Abbati Terram suam, quam habebat in loco Rahone cum Ecclesia S. Maximi Levitae et Martyris et Curte integra.

XXV. Anno Mxxxjv. Facta est abundantia maxima omnium rerum in tota Marchia et Samnio et Apulia, et dictus est in omni terra annus abundantiae et benedictionis Dei.

XXVI. Anno Mxlj. Ioannes filius Landulphi de Civitate Thermulae donavit Ecclesiae santi Stephani et Monasterio Ecclesiam S. Pauli, quae posita est in littore maris ipsius civitatis iuxta Salarium eius cum omni introitu et pertinentia sua.

XXVII. Anno Mxlviij. Azzo filius Azonis humilis tradidit S. Stephano Ecclesiam S. Matthiae de Fresinfine in colle Fresena, eam recipiente Petro Abbate Venerabili nomine sui Monasterii.

XXVIII. Anno Mxlviij. Inicolinfrides et alii Partiales sui donaverunt Monasterio Castrum de Reio Aleto cum tercentis modiis terrae cum consensu Reimerii filii sui, et Mundualdi sui, et donationem illorum recepit Ioannes Abbas.

XXIX. Anno Mlj. Sisemundus filius quondam Ildobrandi Castellum de Monte Falcone cum Ecclesia S. Michaelis, et centum sexaginta septem modiis terrae.

XXX. Anno Mliij. Leo Papa IX concedit Abbati et Monasterio Privilegium Protectionis Apostolicae S. Petri sua super omnia bona et iura Ecclesiae S. Stephani, et super quaecumque pertinentias eius.

XXXI. Anno Mlix. Atto Comes filius quondam Attonis Comititis donavit S. Stephano et Aliperto Abb. Ecclesiam S. Georgii in loco Rahone.

XXXII. Anno Mlx. Depraedatum fuit Monasterium cum terra eius a militibus Normannis, qui Regionem nostram et Marchiam subiectam coeperunt.

XXXIII. Anno Mlxxxj. Robertus Comes Comitum de Loretello et Drago frater eius, de genere Normannorum, venientes in Monasterium, donaverunt S. Stephano Coemeterium S. Comitii in Pallano cum toto i re et pertinentia sua.

XXXIV. Anno Dominicæ Incarnationis **MLXXXV**. Indictione **XII**. Die decima mensis Septembris fuit terremotus magnus in Apuliæ partibus, et damificavit Monasterium nostrum et Ecclesiam et Vastum et Piscariam, et alia loca citra mare in multis et per dies plures facta est in his ferris confusio doloris et angustiae.

XXXV. Anno **Mxcvi**. Robertus Comes Comitum de Loretello Roberti filius, residens in palatio apud Termulas confirmavit per suum Placitum Ecclesiae et Monasterio S. Stephani boves et iumenta quae donaverat pater eius.

XXXVI. Anno **Mcxxiii**. Desiderius Abbas fecit concordiam cum filiis Petri de Termulis super litem de boni S. Stephani in liberans eam de omnium illorum molestia et clamore.

XXXVII. Anno **Mcxxv**. Die **XI** octobris fuit magna et horrenda tempestas maris cum turbine aeris. Circa horam primam noctis in insulis Tremitis multos ignes ex puteis sulphureis terra emovit: et paullo post venit terremotus qui valde nocuit Monasterio nostro et vicinis terris.

XXXVIII. Anno **Mcxxvii**. Die prima Aprilis Raynulpus Comes donavit Monasterio S. Stephani Ecclesiam S. Antoni in Marsia cum omni iure suo et cum terris et bonis et animalibus colonicis. Eodem anno **Mcxxvii** Dominus Abbas fecit libellum Raynolpho de Termulis et filiis eius de rebus Ecclesiae S. Stephani in foce Merlana, et accepit ab illo Bizantios decem, et concertatum est de tributo duorum solidorum aureorum in quolibet anno.

XXXIX. Anno **Mcxxxvii**. Lotharius Augustus Imperator transiens per Marchiam et in Apuliam vadens, fecit privilegium Ecclesiae et Monasterio super omnibus rebus et bonis suis petente Abbate Aliperto.

Eodem anno Leo Episcopus Andriae confirmavit Monasterio per charitam donationem Hospitalis S. Mariae quod appellatur Montis Balneoli.

XL. Anno **Mcxxxix**. Brucorum et locustarum multitudo innumeralis devoraverunt omnia virentia et fecerunt damnum inestimabile in tota regione et terris vicinis; et hoc flagellum Dei peccatis nostris existentibus, duravit etiam anno sequenti et Monasterium redactum fuit in magna angustia.

XLI. Anno **Mcxli**. Mense Augusto Rogerius Rex transiens cum exercitu per terram nostram pro honore S. Stephani fecit libellum feudale Aliberto Abbati et successoribus de Castris feudalibus Torino et Regolato et Oento, salvo militari servitio Regalis Curiae. Refecit etiam Alipertus Abbas scholam Adolescentium cum parte Claustrum prope Ecclesiam, quas praeteriti Terraemotus magni solo teus prostraverunt et diruerunt.

XLII. Anno **Mcxlii**. Armandus Presbyter filius Petri donavit Aliperto Abbati Ecclesiae et Monasterio Ecclesiam S. Donati Episcopi in Castro Paleari cum omni introitu et pertinentia sua iuxta Sangrum.

XLIII. Anno **Mcxliii**. In hyeme propter multitudinem nivium et glaciæ siccatae sunt arbores fructiferae et fuit magna mortalitas ovium et aliarum pecudum.

XLIV. Anno M^cXLIV. Supradictus Leo Episcopus Andriae propter amorem et devotionem erga S. Stephanum et eius Monasterium, donavit Ecclesiam SS. Martyrum Nicandri et Marsiani quae est in Andriensi sylva constructa cum integro statu et iure suo, et Robertus Cellarius nomine Abbatis, et Monasterii possessionem cepit per chartulam notarii.

XLV. Anno M^cXLV. Eugenius Papa III Privilegium fecit protectionis libertatis et confirmationis bonorum et iurium Monasterii, sicut fecerat praedecessor suis Leo Papa IX.

XLVI. Anno M^cLV. Monasterium cum tota terra ipsius et regione turbari cepit per Robertum Comitem Comitum de Lorello qui cum multis Baronibus et Comitibus et Praelatis ecclesiasticis rebellant contra Regem Guillelmum.

XLVII. Anno M^cXLV. Guillelmus II Rex gloriosissimus Ecclesiam S. Stephani cum monasterio, Abbatem, monachos et successores cum omnibus suis bonis et iuribus speciali protectione sua recepit et illo suo munimine confirmavit, liberando Monasterium cum obedientiis Castris et Casalibus eius videlicet Roccae Osentis Turinae et Casale S. Stephani, Rivoletto et Serni et omnibus bonis suis ab omni dominio, subiectione, servitute et quibuscunque collectis vexationibus et exactionibus omnium illorum qui ipsum Monasterium presumpserant aggravare.

XLVIII..... Robertus Comes Comitum, pacificatus cum Domino Rege, venit in terras suas post festa Paschalia et regens Curiam Regalem in Palatio Termulensi, proclamante Abbate nostro contra filios Aliperti de Castro Montisrisei, militis, terras domicales et marsales S. Stephani pertinentiae Osentis, liberantur de omni servitute et omnibus quae illo temporeurbationis imposuerunt tam super villicos et homines quam super fructus.

XLIX. Anno M^cLVII. Alexander Papa initio mensis Februarii vadens Venetias de Siponto venit Civitatem Vastum; et propterurbationem maris mansit in ea multis diebus; erant autem in comitatu eius Manfredus Episcopus Praenestinus, Ioannes Cynthius et Hugo Cardinales Romundellus Archiepiscopus Salerni, Rogerius Comes Andriae, alii de primoribus, et multi Episcopi Comites et Barones, et milites quamplurimi; et popolorum multitudo magna ex omni ordine gentium venerunt ad Vastum propter reverentiam Domni Apostolici et Abbas noster, et Dominus Abbas S. Ioannis in Venere, et alii Abbates aliorum locorum cum suis monachis; et Ego Rolandus indignus Decanus et Prior Monasterii S. Stephani accepi cum illis et idem Apostolicus universos accepit affabiliter. Fuerunt illi data multa dona cum equis albis, et recentibus operimentis, et rebus omnibus pro suo et suorum servorum itinere, quorum multi non iniverant cum eo per mare sed per terram.

L. Moratus est ibi D. Papa per mensem integrum, et mane valde recurrendo IV feriae quinquagesimae, et in Capite jejunii supradictus Beatus ssi Papa ritu consueto benedixit cineris; et postquam illos re-

cepit a venerabili Domino Episcopo Praenestinensi, aliis praesentibus distribuit. Post ea devota celebrata, navigationi designatae laetanter accinctus, reductus est in mare cum funalibus et honore magno, associatus a Roberto Magno Iustiaro Domni Regis, et cunctis magnatibus et populo, et in portu pontem ligeum, galeis Regis cum comitatu suo ascendit et iniit Venetias.

L1. Anno MCLXXIII. Dominus Abbas Alexius restauravit Ecclesiam, et pingi fecit deinde Ecclesiam inferiorem per F. Thomam de Atissa, Monacum S. Salvatoris in Magella.

Renovavit etiam in illa altaria, et ornavit variis marmoribus et musivis ornamentis. Laborarium autem fecit magister Cataldus de Tarento habitator Civitatis Termulae, qui etiam claustrum maius reparavit et pulcrum reddidit in omni parte.

LII. Eodem anno die XV mensis Augusti per venerabilem in Christo Patrem Dominum Haloysium Episcopum Gerarchiensem consecratum fuit Altare sinistrum laterale superiores Ecclesiae pro honore SS. Martyrum Primiani, Firmiani et Casti, et in eo illorum reliquiae fuerunt recenter repositae.

LIII. Anno MCLXXIII. Alexander Papa, residens in Civitate Anagninae concessit Alexio Abbati S. Stephani et successoribus suis canonice induentibus, privilegium protectionis Apostolicae, sicut antea concesserunt Leo et Eugenius Abbatibus antecessoribus, et monasterio et suis bonis et rebus.

LIV. Anno MCLXXXV. Idem Dominus Abbas Alexius pro Ecclesia sua et Monasterio S. Stephani emit a Roberto de Lone Terram de Pantano pro pretio viginti bizantinorum, quos Ego ROLANDUS monachus, nomine Monasterii, ei numeravi, et per chartulam cautelariam quietationem accepi hac die tertia, instantis mensis Aprilis Finis, laus Deo. Amen.